Alcuni fonte
o mello?

DE DEI LOCVTIONE

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS

ORATIO.



IN ACADEMIA VENETA,

M. D. LVIII.

R.^MO ET ILL.^MO CARDINALI

ALEXANDRINO,

Academiæ Venetæ patrono, in primis obseruando.

RERVM humanarum exitus, quàm uaria sint hominum consilia, declarant. quòd si quis benè cogitat; sequitur, ut idem laudabiliter agat. rectè autem agentem nihil unquam frustrabitur, nihil fallet. decet igitur nos optima spe niti, admodumq; firma, quibus in condenda, atque instituenda Academia nostra, nihil, præter Dei gloriam, & communem hominum utilitatem, propositum fuit.

NEQVE uero actiones nostræ, ut speramus, eiusmodi erunt, ut hanc ad optimas res animorum nostrorũ incredibilem propensionem ambigue aliquis interpretari, aut in dubium reuocare posit. apparantur quotidie summa cura, & edentur à nobis diuina doctrina referti, qui pietatem, ac

religionem complectantur, illustres libri: & interim, quasi specimen quoddam, aut pignus nostræ uoluntatis, egregia quædam de Locutione DEI, ab excellenti uiro conscripta, piis mentibus, ac sacrarum literarum, idest ueræ gloriæ, studiosis communicanda censuimus.

QVE duabus maxime de causis, uir præstantissime, tuo nomine decuit esse inscripta: primum, quòd, suscepto Academiæ nostræ patrocinio, nihil prætermittis, quod ad eam ornandam, augendamq; pertineat: & nos, quæ à te officia proficiscuntur, quibus animis, quàm libentibus, quàm gratis excipiamus, aliquo item officio tum ipsi tibi, tum ceteris omnibus indicatum, maximeq; perspicuũ esse cupimus. deinde, quæ de Deo loquuntur, ad quem potius mitti æquum fuit, quàm ad eum, qui diuina studia in omni suæ uitæ cursu cunctis & opibus, & honoribus anteposuit? qui cum uniuersam de Deo, diuinisq; rebus doctrinam accuratissime quæsiuit; tum uero cum ipsa doctrina uitæ rationem coniunxit; &, ut omnes

mnes rectam, salutaremq; uiam tenerent, aut, qui diuerterant, in eam reuocarentur, studio, consilio, monitis, auctoritate contẽdit. nihil obscurè fama loquitur de tuis uirtutibus. nihil de te aut exiguum, aut dubium affertur. patent multis, ac certissimis argumentis eximia tua in Christi Ecclesiam merita. colunt te omnes ob doctrinã, imitantur multi ob integritatem, amant ob humanitatem, maximeq; ob rectam, ac simplicem naturam, ab omni fuco, omniq; fastu longissime remotam.

PRAECONEM uero tuarum laudum omnibus horis audimus eum, qui summa ipse laude dignus est, Federicum Badoarium, auctorem, & conditorem, Deo duce, Academiæ nostræ: cui quidem uiro tum uitæ probitas, tum ex assiduo studio doctrina, & ex diuturno rerum usu quæsita prudentia fidem, atque auctoritatem in omni sermone conciliat.

IPSO igitur non modo approbãte, uerum etiam hortante, præclarum de Deo libellũ, grauem sententiis, illustrem uerbis, ad te

mittit,

mittit, tuoq; dicatum nomini omnibus gentibus Academia noſtra communicat. quæ cum ſe tibi, ſuo primum iudicio commota, tuis deinde meritis impulſa, penitus addixerit, eandem obſeruantiam in omni uita præſtabit; &, ut eam futuræ quoque gentes intelligant, ipſo, ad quem omnia referimus, ſummo Deo opem ferente, aliquo merito conſequemur.

Tv interim, quando iam hoc tribuiſti humanitati tuæ, ut nos ſuſciperes, tribues idē conſtantiæ, ut ſuſceptos tuearis, & foueas, ita tamen, ſi nos tuo præſidio, ac ſtudio dignos, ideſt noſtra ingenia in optimis artibus exercentes, noſtraſq; uoluntates ad unam uirtutem dirigentes, & audies, & re ipſa cognoſces.

Academia Veneta.

MARCI ANTONII
NATTAE ASTENSIS
DE DEI LOCVTIONE,
ad Ioannem Baptistam Nattam fratrem, oratio.

MEMINISSE potes, Baptista frater, cum nobis, in robore adhuc ætatis existentibus, flagrarent bella; nec inter arma & gladios militum esset iuris scientiæ locus, cui ab adolescentia nos addixeramus; & inde ego plus ocii nactus essem; me ad alias ingenuas disciplinas transtulisse, in primisq; uersari solitum in ueterum oratorum libris, quos nobis aut Roma olim tulit, aut doctæ Athenæ dederunt; adeoq; me eorum studia complexum, ut illorum exemplo quædam scriptitarem; nec tamen ea mihi proferenda, sed occultanda putarem. ueruntamen, dum absum à patria eorundem bellorum causa, quæ omnia conculcauerant; accidit, ut ad amicorum quorundam meorum notitiam perueniret, me non nulla habere scripta, nec ea edere: idq; meum illi consilium improbarunt, impuleruntq; ut ederem quædam: quæ cum uideant non displicuisse, urgent nunc iidem uehementius ad reliquorum editionem. interrogant me, num legerim illud Ciceronis in Academicis, intemperantis esse, & ocio abutentis, scribere, quæ occultare uelis. Num etiam meminerim illius Euangelici serui, qui iram commouit aduersus se Do-

mini, propterea quòd talentum ſibi creditum effodiſſet, & nihil ex eo lucri Dominicis theſauris intuliſſet? Quidam ex his, acutior ceteris, Solomon, inquit, in prouerbiis aſſeuerat, quod, qui abſcondit frumentum, maledicetur in populo. Putas ne Solomonem, uirum ſapientem, de frumento tantum id dixiſſe, & non ſub frumenti nomine de doctrina cenſuiſſe? quæ multo melior, & præſtantior in populo eſt alimonia. hanc eſſe cenſet non occultandam, ne ſequatur maledictio. Ita illi mecum: quibus quid contradixerim, & quibus rationibus nixus ſim eorum aſſertionem demoliri, longum eſſet referre. cum illi nihilo minus in ſententia permanerent, uiſum eſt, humanitatis eſſe, in re propria alienum potius ſubſequi iudicium, quàm ſuum. ceſsimus igitur, &, quod olim iuuenes luſimus, nunc ſenes emittimus. etenim ad noua cudenda nec ocium ſuppetit in tanto iuriſdictionis munere; nec onus patitur inſtantis ſenectutis. Proximis menſibus dialogum quendam de oratione ad Deum in uulgus dedimus: in quo ſatis, ut opinor, explicatum diligenter, quid ea ſit oratio, & qualis eſſe debeat, & an continuo impetret petita, & cuius demum ſit roboris. Verum, quoniam non homines tantum ad Deum, ſed conuerſa quoque ratione ad homines loquitur Deus; faciendum mihi putaui, ut hac quoque de re ſententiam meam, ſeu uerius antiquorum Patrum notam facerem. nam de ea pariter olim oratiunculam compegeram. Enimuero, ſi tantum tribuitur locutioni humanæ; cur hanc alteram negligamus, ut non maiore etiam cura & diligentia tractetur? ſi quidem nihil ea nobilius

eſt.

est. nam si sermonis robur, utilitatem, ueritatem expendimus ex dignitate, & sapientia loquentis: manifestum iam, quanto interuallo humanam diuina antecedat locutio. Differt etiam plurimum utriusque cognitio, & tractatio. nam hæc paucis nota, & à paucioribus tractata, subtiliter etiam explicanda uenit: illa uero omnium notitiæ exposita est; & in eius explicatione populari sermone agendum; & de ea plures ttadiderunt. Quamobrem ad hæc intentiore opus fuerit animo. quanquam ita dicuntur à me omnia, ut quiuis mediocriter eruditus ea percipere, & imbibere possit. Volo autem intelligi me de hac tantum locutione Dei loqui, quæ in tempore quodam fit ad homines, non de ea, qua interius secum loquitur Deus æterno illo suo uerbo, quod genuit, & quod idem & unum est cum generante. illo enim uerbo nunquam incepit loqui, nec desinit, sed eo & se ipsum, & præterita omnia, & præsentia, & futura assiduæ dicit. Nos tantam altitudinem nunc scandere non cogitamus. de hac tantum locutione agimus: qua ille uel hominibus præcipit, aut uetat quædam, uel eosdem admonet, instruit, docet, erudit, terret, solatur: quibusq; id fieri contingat rationibus, (si sinat ipse, uel faueat potius) dicere aggrediemur. Mitto autem ad te, suauissime frater, pro meo fraterno in te amore; & simul ut tuo in his, quæ extraordinaria quodam modo facultate confecimus, perfruar iudicio. noui enim, quàm integre, incorrupteq; soleas iudicare. Vt autem ueniam ad Orationem; propone tibi animo aut me, aut alium potius eruditum quendam uirum, rogatum à pluribus, ut, postquam Boni-

facius monachus de locutione hominum ad Deum locutus esset, ipse uicissim de locutione Dei ad homines diceret: illum pollicitum: mox, ubi condicta dies aduentarit, uenisse in templum sanctissimæ Dei genitricis Mariæ, quod penes nos est maximum & amplissimum: illic, suggestu conscenso, in magno eruditorum uirorum consessu, huiuscemodi orationem habuisse.

VETERES sapientiæ sectatores, quibus, naturalia indagare, curæ fuit, dum hominis naturam inuestigarent, duo quædam illic inesse perspexerunt, animum uidelicet, & corpus: sed, quid eorum esset homo, quærendum putauerunt. Vtrum igitur animus solus est homo, ex eo, quod corpus regat? sicuti uir, & equus, licet duo sint quædam, tamen uir solus insidens equo eques dicitur, quòd equo regendo sit accommodatus. An contra, corpus solum sit homo? nam licet animus pretiosior sit corpore, tamen continetur corpore: & id, quod continet, spectandum: sicut annulo inclusa gemma cedit annulo; & utrunque annulus nuncupatur: & ignis in lucerna cedit lucernæ; & utrunque lucerna uocatur: nec refert, quod gemma annulo, ignis lucerna sit melior. An potius, nec animus solus, nec corpus solum sit homo, sed utrunque simul: sicut centaurus, qui constat ex biformi figura, nec aliter centaurus esse potest: & eodem modo camelopardalis, & Triton: & duos equos simul iunctos bigas dicimus; disiunctus uero alter ab altero hac appellatione carebit. Horum trium, quæ præposita sunt, hoc ultimum ue-

rius

rius illi putauerunt, ut homo nec animus solus, nec solum corpus sit, sed utrunque simul: atque ita ex his duabus partibus hominem constare dixerunt. Vtriusque autem partis bona quædam esse posuerunt, quibus homo recte utens suo fungeretur munere. nam ualetudo, uires, pulchritudo bona sunt in toto corpore, & in partibus eius singulorum sensuum integritas, & in membris non nullis præstans quædam uis, uelut in pedibus celeritas, robur in lacertis, claritas in uoce, in lingua explanata locutio. At in animo bona alia à natura sunt, alia à moribus. nam uelocitas in discendo, firmitas in reminiscendo, facilitas in inueniendo, naturæ contingunt beneficio. à moribus proficiscuntur uirtutes, tam quæ ad agendum sunt, quàm quæ ad contemplandum: ueluti prudentia, iustitia, fides, pietas, religio, temperantia, fortitudo, & si qua sunt eiusmodi. ipsi autem mores tum exercitationis asiduitate comparantur, tum adhibita ratione formantur. Et de animi quidem, & corporis bonis, hæc dicebantur: inter quæ tamen plurimum interesse arbitrabantur: esse enim hæc corporis uilia, angusta, humilia, caduca, fluxa, fragilia: contra, illa animi, magna, præclara, sublimia, immortalia, sempiterna, ea presertim, quæ cum uirtutis usu adiuncta sunt: nam eminent ea ceteris, & longe lateq; refulgent: nec mirum, quòd alia sint, quæ sequuntur corpus; & alia, quæ animum: & quòd disimilia sint; quoniam hanc diuersitatem facit corporis & animi natura longe inter se distans: quorum duorum homo alterum habet cum pecudibus, alterum cum diis commune. Hæc cũ olim dixissent ueteres sapientes, uidebantur

bantur ſibi, quod attineret, de hominis natura dixiſſe. Noſtræ uero religionis antiſtites cum hæc eadem ſentirent, quia, ita ſe rem habere, intelligebant, attamen non ſolum unum hominem in duas partes diduxerunt, ſicut illi, ſed, diuerſa ratione, ex uno geminum quandoque effecerunt, cum unum exteriorem hominem, alium interiorem ponerent, hoc animum, alio corpus ſignificantes. non enim hominem eſſe rebantur ueluti ſimulacrum quoddã mortali effictum manu; quod cum obuiis lineamentis forinſecus oblectet, interius lutum eſt, uel lignum, aut rude marmor, nihil habet intus ſpirans, & uiuum, quod externis reſpondeat membris. At in nobis eadem fere introrſus recepta forma, quam propalam exhibemus, tantum intereſt inter humanum, ac diuinum figmentum. nam cum animus aduenit ad intelligentiam oblatæ rei, tunc, ueluti quibuſdam oculis utens, cernere dicitur: cum tenacius retinet, ueluti quibuſdam manibus apprehendit: uariis huc illuc concitatus affectibus, pedibus quadam modo peragrat: uerba effundit, cum meditatur, & cogitat: infans eſt etiam interior noſter homo, cum opere parum in diuinis mandatis profecit; at ubi multum, tum floridus, & robuſtus iuuenta. Exterioris hominis formam dilabi aſsidue, & corrumpi, & ipſa defloreſcere uetuſtate, interioris contra renouari indies, & reuireſcere, teſtantur. Habetis, quæ de homine ueteres philoſophi dixerunt, & quæ illis noſtri addendum putauerunt. ſed quod philoſophi dixerunt, facilius cognitu: quod noſtri addiderunt, difficilius. itaque iſtud ſtatim inuentum, hoc poſterius. Non reperi ueterum

rum aliquem philoſophorum interioris hominis meminiſſe, præter unum Plotinum, inter Platonicos illuſtrem. is ſemel aut iterum interioris & exterioris hominis meminit eo ſenſu, quo nos accipimus. ſed potuit hoc ille à Chriſtianis accepiſſe, quorum floruit temporibus, & à quibus non alienus fuiſſe uidetur. Ego uero horum, etſi ſæpe, nunquam tamen libentius memini, quàm hoc tempore, quo uobis ingentem curam inſediſſe uideo interiorem hominem ueſtrum reficiendi pabulo doctrinæ, quæ diuina ſit tota, atque cæleſtis. Fœdum, ut opinor, & turpe uidebatur, externum hunc corporis uentrem cibo, potuq; uili, ac ſæpe noxio onerare, illum autem internum animi uentrem contemnere, diuini pabuli fame tabeſcentem. itaque implere nunc quæritis, & ſaturare. Sed & illud me mouit, ut initio horum meminerim, quia non parum pertinent ad diſſoluendum id, quod quæritur. Scire enim expetitis, quomodo Deus, incorporea præditus ſubſtantia, cum Patribus ueteris teſtamenti locutus eſſe dicatur. Hic ego tremerem animo, & uehementiſsime perturbarer, niſi quòd iam uideo hæc, quæ corporum ſunt, ad hæc noſtra incorporalia transferri non abſurde, ſimilitudine quadam efficiendi. ſic pari ratione exiſtimo, quod in ſcripturis ſanctis loqui dicatur Deus, non ut aſsignetur illi corporeum aliquid, qui uacat omni penitus corpore, ſed ut hac eius locutione aliquid ſignificetur, quod illi competat naturæ: id quid ſit, explanare conandum potius, quàm de Deo indignum aliquid cogitandum. Etenim ſi cum poetis antiquis nobis res eſſet, qui humanis membris præditos

tos effingunt Deos, & quibus pro membrorum usu hastas assignant, faces, iacula, sagittas: minus mirandum esset, si tales dii interpellasse oris sono uigilantes aliquos, aut dormientes dicerentur. Sed facessant ista à Christiana religione. Nos unicum Deum colentes, eundem incorporeum fatemur. Illud, quod scriptura dicit, hominem à Deo factum ad imaginem & similitudinem suam, nemo sapiens intellexit unquam de corporali imagine, quæ in Deo non inuenitur. imago nanque Dei in homine est ratio, & intellectus: quibus munitus, animalia cuncta, illorum expertia, superat, eisq; dominatur. Quòd si homo non est Deo similis, quantum ad corpus attinet: non erit etiam Deus in eadem corporis ratione similis homini: non habet dentes, linguam, labra, quibus humano more uerba effingat; non pulmonem, & arterias, & si qua cetera membra sunt, quibus loquendi expletur officium; caret ceruice, iugulo, pectore, corde, pedibus, uentre, lacertis. simplex nanque est illa substantia, non coagmentata, & compaginata membris, immo ne his quidem nostris utens communibus affectibus, quos non ratio, sed perturbatio gignit. Porro, illud intelligendum est, excelso illi, & omnipotenti Deo curæ esse cuncta mortalia, ut ea regat, & moderetur, quorum formator extitit, & creator. hoc etiam fatentur ii, qui in Græcia philosophari instituerunt, unam scilicet supremam esse causam, mundi, eorumq;, quæ in mundo sunt, prouidentem. Nemo tam rudis est, tamq; efferatis moribus; qui oculos mentis circumferens, non intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositi

tione, constantia, utilitate, pulchritudine, hæc admirabili Dei sapientia condita & instructa fuisse, & nunc singulari eiusdem prouidentia gubernari. Sæpe expedit hominibus, præmonstrari aliquid, ut occurratur prudentia exitio uenturo, uel ut aduẽtans calamitas peccatoris luctu gemituq; suspendatur. Sæpe, ad mores improbos coercendos, uel corrigendos, opus fuerit nouo aliquo instituto. Alia aliis temporibus, & locis expediunt, quæ indicare mortalibus debet Deus. nã, ni faciat, nec iam prouisor orbis, nec moderator dicetur. Ergo ubi indicat aliquid hominibus uenturum, loqui tunc dicitur: indicat autem non lingua, qua caret, sed spiritu, qui sermonis illi uicem exhibet. nam per hunc diuina innotescit uoluntas, sicut fit inter homines per sermonem. nam sermo inter mortales index est consiliorum, testis mentis, cordis nuncius. indicat, nullo uerborum strepitu, aut sono, homini, quid uelit, Deus, sed sacro demisso spiritu. nulla tunc ærea spatia syllabarum aut dictionum formulis uerberantur: sed pulsatur interius humana mens diuino afflatu. hoc ubi fit, utrum tacuisse Deum tunc dicemus, an locutum? nam illud primum, per silentium quidquam indicatum, humanæ respuant aures, alterum pergrate agnoscunt. Nonne etiam is loquitur, qui, ut alius loquatur, facit? Sic enim inquit Christus discipulis: Non uos loquimini, sed spiritus Patris uestri, qui in uobis est. Et in Leuitico Deus ad Mosem excusantẽ se, ne mitteretur ad Pharaonem, quoniam impeditioris esset & tardioris linguæ; Ego, inquit, ero in ore tuo, docebóq; quid loquaris. Et ex persona eiusdem dici-

tur Dauidi in psalmis: Dilata os tuum, & replebo illud. Et Paulus dicit: Vt detur mihi sermo in adapertione oris mei. credo qui sententiis utitur suis, ore alieno, ipsum esse, qui loquatur. Sed quid hæc? Omnia, quæ scriptura continet sacra, non ea narrat nobis hominum aliquis, fretus humana eruditione, nostrisq́; disciplinis; sed spiritus sanctus, humano utens ministerio, illa nobis digessit, sicut maiorum traditio tenet. unde enim potuit Moses fabricam mundi, & quæ deinceps gesta sunt, describere, nisi spiritu sancto docente? non enim fabricanti mundum Deo affuit ipse, aut alius hominum quisquã, ut potuerit deinceps illa narrare. unde potuit uentura de Christo idem prædicere, nisi diuinitus fuisset afflatus? nã, prædixisse, ipse Christus ostendit, cum Iudæis incredulitatem exprobrans diceret: Si crederetis Mosi, crederetis utique & mihi: de me enim ille scripsit. Sed & ea, quæ prædicta sunt, ostẽdunt humanis illa quidem prænunciata sermonibus, sed sensibus diuinis, & è cælo fluentibus. Vtrum tibi uirginis partus prænunciatus ab homine uidetur, res tanta, tam incredibilis, quæ nullo humano studio, nulla naturæ cura effici posit? quis non intelligat, Deum sacro eius spiritu pectus, & linguam Esaiæ concitasse, ut illud pronunciaret? & recte sermonis auctor Deus ministerio utens Prophetæ, illud ipsum dicitur elocutus. Quæro etiam, quid sit quod Dauid tantus Rex solito psalmorum modulamine conqueratur pedes sibi cõfodi, & manus, cum id nunquam perpessus legatur? sed diceret Dauid, psalmodiam illam non suam fuisse, sed Dei: illũ de se ipso talia prædicasse,

ſe, alienæ linguæ uſum præconio. Amplius aliquid dicam. Omnis ueritas, à quocunque prædicata, (neminem excipio non ſacrilegum, non hæreticum, non prædonem) affluit à Deo, quo ſuggerente prædicatur. nam ſuggerente opus eſt: & nemo alius, præter hunc, ſuggerere poteſt. Summatim autem ut rem cõplectar, ubicunque Deus ui eius occulta excitat hominis mentẽ, ut aliquid dicat, uel gerat, hunc Deus fertur alloqui. At poterat ſcriptura, remoto hoc loquendi uocabulo, dicere, quod Deus hoc uel illud indicauit homini, uel ſignificauit: poterat quidem: ſed nullum peccatum eſt ſcripturæ, immo magna laus, ſi, quo expreſsius, & efficacius oſtenderet, quid fieret, dicat, quod alloquitur Deus hominem, dum illum afflat tantummodo. obſcuritas nempe quædã obiici uidetur humanis ſenſibus, dum aliquid non ſermone, ſed indicio, aut ſigno dicitur demonſtratum. Vt autem oſtenderetur, illud certo demonſtratum à Deo; propterea Deo ad hominem loquente factum id, uel dictum perhibetur: quaſi tam claro, & euidenti ſigno diuina innotuerit uoluntas, æque ac ſi humano ſermone illud fuiſſet prolatum. Ea enim, quæ incorporea ſunt, melius percipiuntur ab homine corporeis undique obuallato ſenſibus, & qui intra corpora aſsidue uerſatur, ſi ſimilitudine quapiam corporaliũ rerum notentur. Quod ſi alicubi id faciendum, id maxime fieri in diuinis decet, nam humana facultas de Deo, quem inſpectabilem nouit, & incorporeum, nec dicere commode, nec cogitare poteſt, niſi ad ima illum deducat; ut, quem in propriis non agnoſcit, in alienis, id eſt ſuis, ſibi co-

gnitis, quoquo modo teneat. Est præterea illud scripturæ consilium, quo nobis familiarius insinuet Deum, uti circa illũ nostro habitu, nostrisq; affectibus. Si enim altissime loqueretur de Deo; timeret inerudita mens eò ingredi, sicut pauper timet ingrediens ad locupletem; nec esset sancta scriptura omnibus peruia, & penetrabilis. quotus enim quisque intelligeret? nunc hac humili dicendi facultate omnibus patet, omnes tenet, pascit, oblectat, tanquam hortulus quidam. nam etsi de magnis loquitur, ea tamen paruis significat. Hinc non solum linguam, & os sonans ascribit Deo, sed reliqua quoque membra. At non ob hoc intelligendus corporeus Deus, non magis, quàm interior ille noster homo, de quo initio loquebar, intelligitur corpus habere. tametsi illi exterioris hominis facies addicatur. sed, ut tunc ad ostendendum ea, quæ intus in animo geruntur, transferimus illuc similitudine quadam externa membra: sic eodem simulacro diuinas effingimus uirtutes. Ego Deum caput habere dico: quid, ego dico, immo scriptura dicit? sed nullum ossibus compactũ caput affigit Deo, uerum illius potentiam capitis uerbo signauit, pectus Dei & cor appellat, quo modo? quia nequit aliis uocabulis, quæ sensus magis feriant, consilium Dei, uoluntatemq; enunciare. Postulamus à Deo, ut nobis ostendat faciem suam, si nos uult esse saluos: postulamus quidem, & ita esse postulandum scriptura admonet, sed quã faciem habet Deus, qui caret sanguine, pelle, neruis? est ne ea alicubi? minime: sed faciei nomine significata est cognitio, nostro sane more, id est humano; quoniam cognitionem præbẽt sui, qui-

cunque inſpici faciem ſuam permittunt. Poterat dici Deo: da mihi cognitionem tui. nemo reprehenderet, immo laudarent omnes. attamen ad humanos ſenſus propius, & gratius dictum eſt, ut faciem ſuam oſtendat. Dextera eius protegi petimus, quum auxilium imploratur. ſic uidere, ſic audire dicitur; quoniam communibus ſenſibus, hominiq́; familiaribus exprimendum fuit, Deum habere cognita omnia, & percepta. Illud quoque animaduerto, quod ſcriptura cælum, mare, aridam uocat opus manuum Dei, uel digitorũ eius; atque ita loquitur de Deo, ut de fabro, qui opus ipſum multo labore dolare, complanare, tornare, delineare, componere ſolet; quum tamen, Deum uerbo cuncta creaſſe, eadẽ ſcriptura teſtetur. ſed, ut enixius oſtenderetur ars Dei fabricatoria, opus ipſum, uerbo conditum, ad manus, & digitos Dei transfert. noſtrum eſt, ubi talia audimus, membra remouere de Deo, efficientiam membrorum relinquere; qua non orbatur Deus, qui membra illa formauit, ceteriſq́; donauit. huc autem tendit ſcriptura, huiuſmodi ludens uocabulis corporeis circa Deum; ut humanos animos afficiat uehementius. homo enim, dum in corpore habitat, id eſt donec homo eſt, utitur ad intelligendum corporis inſtrumento. itaque libenter amplectitur ſimulacra corporea; quibus inde uelu ti gradibus innixa mens, tollit ſe ad excipiendum ea, quæ mente tantum, & ratione capiuntur. Quum autem nihil ſublimius ſit Deo, nihil difficilius ad intelligendum; multo magis ad eum gradus proſternere oportebat, quibus humana mens leuius, & facilius eò ſcanderet. Non habet ille hu-

mana

mana membra. perſpicuum eſt id quidem: quid tamen prohibet humano deſcribere habitu eũ, qui ſupra uires, cogitationesq́; noſtras aſcendit? ut, quo modo fieri poſsit, à nobis comprehendatur. An derideri mererer, ſi tellurem iuſtiſsimam, & frigus ſceleratum uocarem: quorum utrũque poſuit ſummus ille poeta noſter: qui ut aptius qualitatem rerum indicaret, animorum affectus inanimis corporibus inſcripſit. hinc ab eodem poeta illud manauit:

Et pontem indignatus Araxes.

Quid eſt hoc? de flumine loquitur, & indignatum dicit ſuper pontis impoſitione. num flumina etiã indignari ſolent? non opinor. nam flumina nihil aliud ſunt, quàm congeries aquarũ fluentium, nullo ſenſu præditarum. cur igitur poeta flumini indignationem dedit? quia uiſum eſt nouitatẽ rei, & magnitudinẽ non potuiſſe ſignificantius exprimi pluribus uerbis, quàm uno illo indignationis affectu, qui flumini tribueretur. Dicimus telũ manu fugiſſe, quod per imprudentiam emiſſum fuit. hic rei inanimæ aſcribitur fuga; quòd is motus factus ſit præter mẽtem eius, qui iaculatus eſt; quemadmodum fuga fit ſeruorum, inſciis, uel inuitis potius dominis. propria uerba non deerant: placuit tamen magis uti tranſlato; quòd clarius rem oſtendere uidebatur; & quia iucunda eſt ſimilitudo rerum corporalium, quæ id, de quo agitur, oculis pene ſubiicit: quo uno ſenſu animus maxime permouetur. Multis quoque aliis in rebus, ac pene infinitis utimur tranſlatis uocabulis, ueluti cum dicimus, Cæſarem fulſiſſe rebus geſtis, & Catilinam armatum fuiſſe audacia, & fractos Maurorum

rum animos Italis armis; & eum, cui in tuto res est, dicimus in portu nauigare. quòd si communis sermo recipit has dicendi figuras, tanquam ualde luminosas: cur unam scripturam sanctam credimus orbatam esse huiusmodi translationum luminibus, quibus humana loquela maxime gaudet? illa uero has translationes non modo non refugit, sed etiam sectatur. hominum enim causa confecta, eo more loquitur, quo humanos animos maxime impelli putat. Exempla plura suppeditant: unum aut alterum ponam, sumptum de lamentatione Ieremiæ prophetæ, quam flebilibus implet numeris. illic enim sic loquitur, prænuncians Hierosolymæ euersionem. Viæ Sion lugent; eo quòd non sint, qui ueniant ad solemnitatem. Videtis, quàm pulchre, & decore uiis luctum ascripsit, cum solitudinem, quæ uentura illuc fuerat, indicare molitur. Nec multo post assumens propheta ciuitatis personam, Vindemiauit me, inquit, Dominus in die furoris sui. Nemo hic tam sensu hebes inuenietur, qui non intelligat, quàm speciosa similitudine propheta ablationem fructuum, & ornamentorum omnium, uindemiam nuncupauerit. id, cum hac similitudine dictum, excipitur gratius, quàm si cum simplici sententia elatum fuisset. mens etenim, familiarium rerum imagine concepta, magis suscitatur, &, tanquam in pictura rem ipsam cernat, magis amplectitur: deinde, quia festiuius id exponitur, diutius etiam retinet. Idem propheta eodem opere inuitans contemplatione futurarum miseriarum Hierosolymam ad lacrymas. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem ac noctem, nec

des

des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Neque (inquit) taceat pupilla oculi tui. hoc iam ſuperat omnem elegantiam, dum, quod ad unum ſenſum ſpectat, tranſtulit ad alterum, id eſt quod linguæ erat, oculis dedit. Nolens nanque ceſſare oculos à fletu, hanc ipſam ceſſationem mire taciturnitatem uocauit. Hoc loquendi more utitur quoque Virgilius illo carmine.

Tacitæ per amica ſilentia lunæ.

tacitam uocat lunam obſcuram & tenebroſam, qualis eſt primis diebus, quibus nihil aut parum effundit luminis. tranſitus factus eſt elegans de auribus ad oculos. nam quod ſilentium eſt ad aures, quæ nihil tunc audiunt, id tenebræ ad oculos, qui tunc nihil uident. Sic M. Cato in re ruſtica, & in naturali hiſtoria Plinius lunam in coitu uocant ſilentem, quia tunc obtenebratur. Hæc dicta ſunt, ut intelligatur ſcripturam ſacram his quoque tranſlationibus gaudere ſequentem uitæ communis conſuetudinem, nec abſurdam rem facere, ſi humana membra aſcribat Deo, ut illorum membrorum officiis ſignificetur expreſsius & luculentius, quidquid de Deo ſplendidum & magnificum humana cogitare poteſt intentio. effigies nanque corporalium rerum dilucide magis rem oſtendunt, quoniam notiora ſunt, quæ ſenſibus, quàm quæ mente ſola cõcipiuntur, eademq; ratione imprimunt fortius, nec abeſt uoluptas, quoniam propoſita ſimilitudine is, qui audit, aliò ducitur cogitatione, nec aberrat tamen, ex quo oritur oblectatio: delectatur etiam ingenio dicentis, qui longe poſita & aliunde accerſita in id, quod agitur deducit. Hæc & talia cogitantes

nonnulli

nonnulli prudentiſsimi uiri induxerunt eos, quos Græce ἀπολόγυς latine fabulas nuncupamus: in quibus & inanima fere omnia & irrationabilia animalia faciunt loquentia & ratiocinantia, affectibusq; humanis utentia, quod ſibi hac ratione auditorum animos facilius ad ſe ducere arbitrabantur: quo fabulandi genere non ſolum poetas ueteres Homerum, Heſiodum, Archilochum, ſed magnos quoque poſtmodum oratores uſos accepimus. Menenius quidem Agrippa (ut alios præteream) plebem Romanam diſsidentem à patribus flexit ad concordiam notiſsima fabula de membris humanis aduerſus uentrem pugnantibus. Herodotus quoque auctor eſt Cyrum illum magnam Perſarum Regem quædam Ionum Aeolumq; legatis per apologum reſpondiſſe, quem etiam retulit. Sunt, qui Aeſopum Phrygium harum fabellarum auctorem ferant: qui tamen earum non auctor, ſed illuſtrator fuit. nam neminem eo ſcientius, & frequentius uſum conſtat. harum nonnullas Ariſtoteles narrat in rhetoricis, Horatius ſuo intexuit carmini: enimuero lego illud apud hunc:

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, Referam.

Et reliqua, idem aliam fabellam de mure urbano & ruſtico mutuo ſe hoſpitio excipientibus plurimis proſecutus eſt uerſibus. Eiuſdem de ceruo, & equo inuicem præliantibus extat carmē. Quòd ſi ſermo aſcribitur brutis, quæ omnis ſermonis, omniſq; intelligentiæ ſunt expertia, ſed aſcribitur tamen, ut præcepta quædam uitæ firmius & iucundius humanis auribus excipiantur: quanto

iustius sermonis usu transfertur ad Deum, quando patefacit ipse homini, quid ferat sempiterna eius sapientia; & uoluntas? non enim, ut in beluis totum, quicquid de eis profertur, fingitur; sic de Deo. nã ueraciter illa uult, de quibus locutus fuisse perhibetur. Cur autẽ locutus fuisse perhibetur, nisi ut ostendatur manifestationem tunc factam diuinæ uoluntatis? quæ etsi sermone non sit facta, sed alio modo: is modus sermo dici potest, cum sermonis exhibeat uicem. idq́; facilius dici & æquioribus auribus accipi potest, quàm cũ bestias aliquas colloquia inter se miscuisse fingimus. Omnia incorporea (dicendum est sæpius) melius capiuntur. si effigie aliqua corporaliũ rerũ notentur. Si scriptura diceret, nutu quicquam mandasse Deum, leue id haberetur, si pulsu quodam interno, id uix intelligeretur. At ubi loquens ipse Deus quidquam dicitur iussisse, tunc pulsatur acrius humana mens id audiens, quia ducitur per ea, quibus assueuit, & representans sibi Deum ad hominem uerba facientem existimat illud magnæ curæ fuisse Deo, qui usque eo descenderit, ut homini loqueretur: non enim frigidè & titubanter quicquam uult Deus, sicut plerunque homo solet, sed non nisi firmiter & uehementer: non enim falli ueretur. hanc eius enixam uoluntatem scriptura locutionis nomine signauit. Nam ubi seruus loquitur ad seruum, herus imperat, uerba eius audiui, id faciendum est nobis, maius tunc imperium illud & irretractabile uidetur: Sin autem dicat ille se coniecturis & signis colligere Domini uoluntatem, res forsitan in contemptum deduceretur. Quid porrò mirandum

dum est loqui illum, cui etiam perturbationes nostris cõsimiles ascribuntur? Iratus describitur ac furens. Quis id ferat, nisi prudenter intelligat hac atrocitate uerborum, quam homines norunt, impendere pro peccatis diuinam ultionem & correptionis flagellum? nam & Iudices aliquando ipsos iratos fuisse dicimus in reos ob atrocia maleficia, quamuis uideamus ipsos sine ullo animi motu sententiam capitis in eos dicere & supplicia more maiorũ sumere. Ex aduerso misericors dicitur esse Deus, sed num recte? nã misericordia dicta est ex eo quod miserum cor faciat, attamen passim misericors uocatur à nobis Deus, dum facilitatem eius tribuendi egentibus & indulgẽdi peccantibus notamus, qui dum eo munere fungitur, quomodo miserum cor habet, qui ne cor quidem habeat? attamen quia ita ille tribuit, ac si commotus esset corde, alienæ miserie conspectu, utimur uerbo, quo similem eum facimus perturbato, nam si hominem etiam uidero indigentiam subleuantem pauperis pecunia oblata, misericordia hunc usum dicam, etiam si imperturbato animo id fecerit. at potuit clementiam dicere, fateor, sed placuit magis misericordiæ uerbum, quo indicatur tanta animi propensione illud fecisse, ac si de aliena miseria miserũ sibi ipsi cor fecisset. Pœnitere se quodam scripturæ loco dicit quod fecerit hominem, ut ostenderetur aliquid futurum, quod antea non erat, similitudine sumpta ab homine, qui pœnitẽtia ductus mutat, quod fecerat. hæc mutatio rerum pœnitentiæ nomine significatur in Deo, neque ubi pœnitere se dicit, arguit se uarietatis & inconstãtiæ, sed nos ipsos

 ingratitudinis:

ingratitudinis: est enim immobilis illa natura cui etiam pennas dedimus, alitemq; Deum fecimus, dicente ad illum Propheta. Sub umbra alarum tuarum protege me: hæc enim & alia sacræ literæ non propriis, sed translatis uocabulis de Deo notauerunt, & balbutiunt nobiscum illæ de tanta maiestate uerba facientes, sicut patres cum puerulis solent, nam eorum more balbutiendum est, ut ab illis intelligantur. An non balbutire tibi uidentur? cum in mundi fabrica describitur, quod cum cælum, lucem, solem, terram, aquam, uolucres, animãtia creasset Deus sex diebus, subiicitur sub unoquoque die, quod uidit Deus bona esse, quæ creasset, quasi antea nõ uidisset, & scientia ulla noua accedere posset Deo. sed uidetur illic Deus affectus sumere humanis similes, ut eosdem moueat in hominibus, ad quos fit sermo, nam fabricat illic mundum tanquam speculante homine. Video, inquit Deus, bona esse hæc, quæ creaui primo die. idem repetit secundo, tertio, & deinceps reliquis diebus. his ille uerbis pulsat quodammodo hominis pectus, & quasi ad eum loquitur, quid tu homuncule, qui me specularis hæc facientem? nonne mecum uides hæc esse bona singula, quæ creaui? Sic humillima quæque scriptura impingit Deo, & de illo (ut modo dicebam) balbutit, ut intelligatur balbutiem illam esse nostram, id est propter nos factam, ut incendamur, & cogitatione ad meliora proficiamus. Cum Abraham extulisset iam gladium, & filium, sicut diuina uoce iussus fuerat, immolaret, prohibetur ab Angelo, & ad eum dicitur. Nunc cognoui quod times Deum. hæc uerba si referun-

tur

tur ad Deum, uidentur absurde prolata. quid enim? Deus non nouerat qualis in eum esset Abraham ex superioribus gestis? Quid præterea? nonne est hic ille Deus, qui hominum renes & uiscera rimatur, cuius notitiæ facta sunt omnia antequam fiant? sunt ista, ueruntamen ibi loquitur, ut unus multis, qui non exacte, nisi ex operibus nouit, & illo notitiæ nomine opera sibi nostra grata esse demonstrat. Et quamuis antea Abraham tale sui specimen dedisset, ut facile intelligi posset quãti faceret diuina iussa, attamen hoc loco Deus nunc se cognouisse dicit, attollens istud facinus, tãquam illa cum hoc collata nihil esse uideantur. Siquidem & uulgo homines de factis eximiis & superiora uincentibus illo more loqui consueuerunt. Veluti (exempli causa) si quispiam pluribus ab amico donatus muneribus, posthac splendidum accipiat munus ab eodem, quale nunquam antea, nonne merito dicet? Nunc demum cognoui, quod ille me diligit, non quo antea non cognouerit, sed quod declarare uelit excellentiam posterioris muneris, quasi illud fulgore suo anteriora omnia obscurarit. Sic locutus tunc est Deus: Est enim huiusmodi, ut non dedignetur mores nostros non improbos loquendo imitari. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & uidebo utrum clamorem, qui uenit ad me, opere compleuerint: sin autem, ut sciam: quis non intelligat hæc humano more dicta fuisse? non enim opinor, alicubi abest Deus, qui sui præsentia implet omnem locum, & quicquid est. Quid porro

ille

ille ignorat? Sed illo sermone ostendere cupit magnitudinem detestabilis criminis, suscipiens uicem patrisfamilias cuiuspiam, ad quem si deferatur filios aut alios quosdam honestos ciues perpetrare indies ingens aliquod scelus, dicat se non credere, nisi præsens ipse oculis uiderit: Parem sermonem sibi sumpsit Deus, & eodem exemplo sic loquitur, detegens immanitatem criminis. Vix possum credere tantum hoc scelus ab his uiris admissum aduersus ius fasque naturæ, quamuis crebris rumoribus ad me delatum. Descendam igitur, ut uideam quid rei sit: incredibile enim hoc crimen, nec aliter apud me fidem nisi ex conspectu habiturum: descendere se dicit, dum humana & hæc inferiora tractat: nam in leuitico quoque memorans se uidisse afflictionem populi sui in Aegypto, & clamorem eius audiuisse propter duritiem eorum, qui præerant operibus, & sciens (inquit) dolorem eius descendi, ut liberē eum de manibus Aegyptiorum. idem dum differt flagellare peccata, ignorare se ea dicit, sed deinceps quum flagellat, se demum ait intellexisse. res indicatur his similitudinibus & his figuris dicendi, quibus humanus maximè gaudet affectus, nam translata ratione uocabula iucundiora sunt, quam propria, simul & humana mens per sua & familiaria exempla deduci se ad summa illa & diuina libenter agnoscit, hæc locutio, quæ fit ad alterum, ita temperari debet, ut ingenium eius, cui aliquid suadetur requirit: Cum Deus ad Angelos loquitur, id est indicat quid uelit, id facit eo more, quo Angelicæ conuenit naturæ, cum autem ad homines loquitur, quorum prospicit saluti, rem inducit

cit eo modo, quo se humana mens tractari desiderat & facilius percipere possit: non enim semper in omnibus diuinitas supercilii, (ut ita loquar) seueri & tetrici, sed dimittit sæpius se ad ima, & ita loquitur & perinde agit quasi quilibet popularis, habeatq; quod nos habemus, & fraterno cognatoq; nobiscum tangatur affectu. nam uidet, audit, ingreditur, deambulat, interrogat, respondet, disputat, nouit, ignorat, obliuiscitur, recordatur, irascitur, placatur, uertit se, auertit. His ille & talibus imbecillitatis nostræ insignibus depictus est, ut per hæc nota & familiaria indicetur hominibus quicquid æterna & immutabilis rerum ratio, quæ penes illum est, pro tempore & loco uelit & agat. Non errauero etiam, si dixero multa agere & dicere Deum humili more, ut nos instruat exemplo, & homines ad illos mores prouocet ueluti ostendit illud de peccatis Sodomorum & Gomorrhœorum, de quibus nuper agebatur, ad quæ dicit se descendere, ut uideat num uera sint, sicut clamor & fama ferebat. Admonetur Reges & alii Principes uiri, ne facile rumoribus & delatoribus credant, sed descendant ipsi aliquando ex sublimi illo solio, & inquirant, num quæ delata sunt ad eos crimina, ueritate nitãtur: quemadmodum etiam dum peccasset Adam, & audisset uocem Domini deambulãtis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondissetq; se à facie domini in medio ligni paradisi: Vocauit Adam Deus, & dixit. Vbi es? hæc uocatio & omnis deinceps illa accusatio, & reorumq; responsio, non aliud profecto indicant, quam uocandos à sublimibus potestatibus criminum reos, audiendamque eorum defensionem: nemi-

nem

nem indicta causa damnandum. Si enim audire criminosos uoluit Deus, quid pro se dicerent, Deus inquam, quem nihil latet eorum, quæ gesta sunt & gerentur, quid hominibus faciendum est, quos multa ignorationis nubes obtegere solet? Erraret autem supine quicunque crederet informari à nobis Deũ tanquam animal quoddã his humanis membris: quoniam non sunt ea membra, sed simulacra quædam, ut dixi, diuinarum uirtutum. quod ex eo etiam ostenditur, quia non dispensamus ea partibus, sed assignamus in uniuersum. Vis enim internoscendi quidquid geritur, per oculos denotata est, duos, ne aut plures? Ita ne uero hoc quæritur, quasi de animali quodam sermo habeatur? Totus est ille oculus, quia omnia intelligit: minus cernunt omnium mortalium oculi, quàm unicus ille, qui immensus est. Eodem modo de auribus. Totus est ille auris, ad quem non sermones modo nostri, sed etiam cogitata perueniunt. Totus est manus: sic enim fabricauit uniuersa, neque nunc ab opere singularium rerum cessat. Totus est pes, quia, tanquam ingrediatur pedibus & adueniat, adest undique. Totus lingua, quia per ea, quæ condidit, sapientiæ suæ & potentiæ significationem nobis assidue tradit, nec desinit unquam homines spiritu suo sacro compellare. Non possumus dicere in Deo horum quodlibet huc magis, quàm illuc collocatum, imo ne aliud quidem ab alio differre dicemus, quia simplicissimus est ille & eadem ui mẽtis & potestate cuncta conficit, tractat, moderatur. Nobis autem opus est hac distinctione sermonis, quoniam simplicitatem illius naturæ, non modo explicare di-

cendo,

cendo, sed ne cogitando quidem percipere possumus, & eò decurritur necessitate quadam, ut illam per partes diuidamus nobis, atque frãgamus. itaque Deum aliud potenter egisse dicimus, aliud sapienter, aliud iuste, aliud misericorditer, cum tamen hæc omnia unum sint, et adeo indiuisibilis sit ille, ut totus adsit omnibus rebus, & singulis totus. at infantia nostra non reformidat huc illuc inducere uagantem, & nouum aliquid ei ascribere, quod tamen illi non est nouum, sed nobis, cum uidelicet alicubi se & uires suas magis aperit & ostẽdit. Sed, quoniam longius euagati sumus; nam cum propositum fuisset de Dei loquela dicere, nescio quo modo consequentia rerum & ordo huc nos deduxit, ut de eiusdem simplicitate & magnitudine diceremus: cohibenda est oratio, & tanquam fræno reuocandus equus in suum stadium, ut metam iam iam se ostẽdentem tangere possit. Etenim ad illud, quod quærebatur, quo modo Deus omni uacans corpore loquutus esse dicatur cum antiquis patribus, optime iam respõsum est, quòd dicitur Deus loquendi hoc obire munus, cum sacro eius afflatu pulsat interius hominum mentes, nullo extrinsecus accedente uerborum sono: & impellit, ut quippiam agant, uel loquantur. Illa enim interna diuinæ uoluntatis enunciatio facta ad hominem loquelæ nomen obtinuit: ostensumq; est, non in hac re modo, sed in pluribus quoque aliis hæc, quæ in hominũ sunt consuetudine, ad Deum similitudine quadam trãslata, uel quia sic prolata magis mouerent, uel quia facilius intelligerentur, uel etiam, quia sic deceret. Venit nunc in mentem Socratis (tam etsi ineptum

ſit forſitan philoſophica iſtis immiſcere, attamen nihil comparandi cauſa loquar, ſed ut hæc, quæ à nobis dicuntur, teſtimonio etiam confirmentur eorum, qui à religione noſtra alieni fuerunt) cum igitur diceret Socrates ſe audire uocem Dæmonis, quæ illi fururos actionum euentus ſignificaret, & in pleriſque prædictionibus uerus apparuiſſet, inquirere cœperunt eius ſectatores, quidnam eſſet Dæmonis illa uox, quoue modo ab eo perciperetur. Variantibus opinionibus eruditiores in eam ſentẽtiam diſceſſerunt, atque ita ſcriptum reliquerunt, uocem illam non fuiſſe articulatam ex nominibus & uerbis compoſitã, quæ ad Socratis aures perueniret, ſed ictum quendam fuiſſe internum, non cæcum & obſcurum, ſed luminoſum, quo pulſa Socratis mens ea in parte, unde illi notio ineſt, ſtatim perciperet poſteriores rerum euentus, qui demonſtrabantur. facilius nanque arbitrantur à mente in alteram mentem cognitionem rerum transferri poſſe, quàm uox in ipſas aures fundatur. Enimuero ſi loquatur aliquis ad alterum ex longinquo, tunc ualido & magno opus fuerit clamore, ut intelligatur, quod, ſi prope acceſſerit, mediocri opus erit uoce, ſin propinquiſsime factus in aurem uelit ſermonem fundere, tenui ſatis eſt ſuſurro. quòd ſi animo ſuo poſſet adiungere ſe ad alterius animum, eumq́; contingere, uel propius conſiſtere, manifeſtum quod non egeret uocis ſono, ſed ſermo eius intimus uoluntate conceptus ad alterum, nullo ſtrepitu uocis edito, perueniret, qua ratione elapſi corporibus animi inuicem colloqui, & inter ſe uerſari dicuntur. Nos etiam dum

adhuc

adhuc manemus in corporibus, intelligimus leui tactu uel nutu loquētes. Sæpius etiam ex solo uultus aspectu cognoſcimus iratum, dolentem, hilarem, aut qualibet alia animi perturbatione commotum. quanto magis humana mens, omnis intelligētiæ fons, ictu Angeli uel Dæmonis impulſa ſentiet, quid is indicet, aut loquatur, uel quas cogitationes nobis ſuggerat, & miniſtret. Quid de Deo dicam? nonne magis hæc de illo accipienda, ut tunc uocem dicatur fundere, cum illapſus tacite hominum mentibus, eas illuſtrat claro quodam ad cognoſcendum lumine, & effecit ſacro illo appulſu, ut intelligant præſentia quædam, uel futura, quæ antea illos latebant. Hinc dicebat ille in pſalmis. Audiam quid loquatur in me dominus Deus. quaſi oſtendere uelit, non exterius illum, ſed interius locuturum. Ioannes quoque in reuelatione inducēs loquētem Deum. Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit uocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipſe mecum. Si quis (inquit) audierit uocem meam. Non cogit nos Deus, non putat maieſtatis eſſe, ſeu bonitatis ſuæ, ui nobiſcum agere. nouit nullam eſſe uirtutem, niſi uoluntate ſuſceptam: ita enim ipſe inſtituit. Et ut nulla ſuperſit excuſatio homini non parendi Deo, excitat ſæpius deſidiam & negligentiam noſtram, & ſomnum excutere conatur: uenit ſponte ad cordis oſtium, pulſat, clamat quoque, nec uiolenter irrumpit, ſed in manu noſtra relinquit, an aperiamus, & ei audientes dicto eſſe uelimus. Felices, atque iterum & ſæpius felices, qui internam hanc Dei locutionem ſuſceperunt, atque exau-

dierunt. nam cum istis uersatur Deus, & cum istis etiam epulari & conuiuia inire gaudet, sicut ipse facturum se pollicetur. Quid, si etiam uocali sermone dicam quãdoque ad homines locutum Deum, quod multis locis sacræ literæ innuere uidentur? credemus ne hoc fieri non posse, nisi fauces ac linguam assumat, atque his nostris membris consimilibus agat? Legimus in sacris uoluminibus uerbum Domini ad hunc uel illum prophetam factum. Legimus os Domini locutum, uel interrogatum, uel consultum, uel illud sic dixisse, uel sic respondisse: quæ omnia ostendunt, quod humano uteretur sermone. Quid igitur? fauces tunc & linguam assumebat ad loquendum, nec aliter loqui poterat? sed id dicere, hominis est parũ considerati, diuinas uires ex humana facultate metientis. nam si uox nihil aliud est, quàm aer lingua percussus, potest aer ui diuina uel uoluntate ictus reddere uocalem sonitum, qui ad aures deferatur sanctorum, quem reliquorum auditus non admittat: hoc enim uno significatur uerbum de cælo factum, quando multis astantibus alii audiunt, alii, quorum impuræ aures, mens prophana, sentire nequeant. Etenim sic cogitandum censeo, quod cum ab initio nihil esset in mundo, cum nec ipse quidẽ mundus esset, nulla subsistente materia, aut forma, cuncta uerbo Dei exorta certis locis formisq; distincta constiterunt. Nam ut uniuersam tam immensæ molis constructionem referre prætermittam, ac per species tantum quasdam rerum percurram; ille Solem radiis cinxit, quibus diem efficeret, & aureis stellarum globis opacæ noctis tenebras incendit, in quibus est argentea

gẽtea Luna, quæ Solis lumine modo aucta; modo defecta alternis temporibus uariatur, sed tum maxime conspicua, cum alienæ lucis munere fœcundior pleno ore ardet. Eadem suprema potestas stagna, lacus, maria, flumina per uastos terrarrum sinus diffudit, ipsamq; tellurem sua libratam grauitate in medio suspendit, stareq; iussit eam, super qua reliqua animantia mouerentur. Hæc & alia plura, quæ ego, non adeo copiosus homo in dicendo, quàm diu uellem commemorare possem, cum incredibili arte, admirabili potentia, solo nutú procrearit, effinxerit, composuerit Deus, nullis humanis adiutus membris, sine machinis ullis, ac ferramentis, putabimus nunc eundem non posse ad hominem uoculam mittere, nisi labiorum motu utatur? ac, si ita putabimus, nõ indigni uidebimur, qui de tanto opifice quicquam dicamus, ac cogitemus? Sed num casu factum dicam, uel ratione quadam, quod nuper intulerim mentionem mundani opificii? nam hoc retulit memoriam quorundam perbene eruditorum, qui aiunt Deum secum loquutum, ubi uerbo cuncta creauit, & hunc statum rerum induxit, cetera omnia, quæ in ueteri lege habentur, Angelorum ministerio ad homines delata, quamuis sub persona Dei, cuius opus gerebatur, tractarentur. Videtur tum Deus, seu is, qui uicem Dei gerebat, ab initio orbis conditi specie quadam corporali assumpta ad homines sociali more locutus, humano utens sermone. sic locutus est cum primis parentibus, sic cum Noa, sic cum Abraham, sic cum Mose, sic cum pluribus aliis. plerunque nudæ tantum uoces (ut dixi) insonabant. Vtitur etiam

etiam alio loquēdi more Deus, cum humanus animus, sensibus corporis uel somno sopitis, uel in uigilia desertis, per se tātum uiget, tunc uisa quædam ei obiiciuntur, quibus de Dei consilio & sententia commonetur. sed hæc extraordinaria quodam modo geruntur potestate. Illud peculiare Deo, occulta inspiratione præuenire & cōmouere hominum mētes, atque ita nobiscum fabulari. At non solum hoc modo loquitur nobiscum, sed per literas quoque, quas per Mosem, & prophetas, & Apostolos protulit. Ille hæc nobis monumenta reliquit, ut amorem erga ipsum nostrum hac quoque literarum imagine detineret, & ne quando obliuionem mandatorum & per eum gestorum causari possemus. Dicitur etiam figurate loqui Deus ubi factis nonnullis admirabilibus aliquid aliud ostendit, ueluti cum Ionas proiectus de naui in mare à Ceto absorptus est, & in eius uētre triduum commoratus, deinde effusus incolumis in litore, &, ut quidam poeta uetus dixit, Depositum, non præda fuit. Hoc facto præsignificauit Deus, quod eius unigenitus de cruce detractus, & sepulcro conditus totidem diebus maneret in uisceribus terræ, & illinc deinceps uiuus exurgeret, tanquam in custodiam & non in prædam sepulcro traditus fuisset. Similiter Ioseph uenditus à fratribus triginta argenteis prænotauit Christum uēditum pari pretio à discipulo. Hæc est figurata Dei locutio, quæ non uerbis, sed factis exprimitur. ea plurimum elucet in gestis, quæ utriusque Testamenti paginis continentur. Non tamen est omnium hanc locutionem percipere, sed paucorum quorundam, quos spiritus sacer afflauit: rem autem

tem gestam intelligere quemadmodum litera sonat, cuiuslibet est. Addunt quidam aliam duriorem Dei loquelam, quam ex scripturis iidem eliciunt, ubi diro aduersus delicta nostra insonat flagello, tunc iræ & furoris plenus peccatoribus loquitur Deus, manu scilicet, non uoce. nam in lamentatione Hieremiæ deflentis exitium Hierosolymæ legimus. Facti sunt hostes eius in capite, inimici locupletati sunt, quia Dominus loquutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius. Et ibidem paulo post ex persona eiusdem ciuitatis. O uos omnes, qui transitis per uiam, attendite, & uidete, si est dolor similis, sicut dolor meus. Quoniam uindemiauit me, ut loquutus est Dominus in die iræ furoris sui. Et in psalmo nono legitur quoque. Increpasti gẽtes: & periit impius: nomen eorum delesti in æternum & in sæculum sæculi. Infelicissima sane hæc tempora, aduersus quæ diuina ultio tam acerbe infrenduit, perditi sumus bellis, prosternimur morbis, annonæ penuria uexamur, hæc tam misera patrum ætas, & quæ paulo ante præcesserunt sæcula, melioribus (ut opinor) decursa moribus, uidere nõ meruerunt. Hoc ferreũ sane quoddã locutionis est genus, quo nobiscum utitur Deus, quanquam & cum peccantibus illa etiã mitiore utatur loquela, de qua modo elocuti sumus. Peccatori nanque dixit Deus, quare enarras iustitias meas, ut ille inquit in psalmo. Sic ad Balaam magnũ locutus dicitur, eiq; præcepisse, ut Israelitico populo benedictionem pro maledictione inferret, sed et cum Satana quoque in his, quæ circa Iob gesta sunt, sermonẽ habuit, quemadmodum liber eius nomine inscriptus ostendit.

Effudi

Effudi iam plurima(nam omnia,nec ſcio, nec poſſum) quæ etſi altitudine quæſtionis, & eruditis auribus dignißima iudico, uereor tamen iam pridem, ne à doctis & intelligentibus loquacitatis ſtultitiæq; condemner, quoniam apud ceteras gẽtes à fide diſſonas res iſta fortaßis aliquam habere poſſet diſputationem, nullam apud noſtros. quid enim mirandum humanis, quondam membris definitum Deum, quem nos mortali carne circundatum cuncta hominis munia expleſſe profitemur? deſcendere ad homines dicitur Deus, perambulare terram, colloqui, monere, præcepta dare. hæc quippe ueteri lege continentur, ſed nonne hoc uere extitiſſe proditum eſt nobis Euãgelica lectione? Extiterunt uetera illa prælũdia nouorum, & ueritatis umbram talibus lineamentis depictam priora ſæcula tenuerunt. Nihil illis literis, quas Spiritus ſanctus conflauit, temere effuſum, omnia ad ſacratioris cuiuſdam arcani ſignificationem librantur, & per ſingulas pene uoces myſteria noua concitantur. Lego Deum & hominem humana tractare, quid ni legam? quando humanam ſpeciem non exhorruit tanta illa maieſtas, ſed inter mortales, ut unus ex illis, uerſatus eſt. etenim iam antea pſallendo prædixerat Propheta. Videbitur Deus Deorum in Sion. De hac eius loquela loquens Apoſtolus Paulus initio epiſtolæ ad Hebræos, Multifariam, inquit, multiſq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouißime iſtis diebus locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem uniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Quid enim nunc? cum mihi campus proſternatur, in quo effundere ſe & iactare

iactare posſit oratio, illam coarctamus. Iuuat enim commemorare, quæ & quanta humanæ iunctus naturæ Deus egerit, tractauerit, perfecerit: ut minus uideatur mirum, ſi ad effigiem futurorum locutus quippiam dicatur. Ardens nanque caritate noſtri cæleſtis Pater, cupiens humanum genus ſaluum facere, & eximere à peccatis, filium delegauit huic muneri, qui deſcēdens ex tanta illa arce, humanamq; ſuſcipiens carnem, os aperire ſuum, uerbaq; diuina humanis auribus infundere dignatus eſt, mandata uitæ edidit, immortalitatis iter docuit, regna cælorum deſcripſit. Antea cōtactu ſacri ſpiritus, & illapſu per homines, tunc ad ueritatem plane Deus in homine loquebatur. Hæc eſt excellens illa diuini oris locutio, qua maior alia nec dici, nec cogitari poteſt. At non ſermonibus ſolum profuit, ſed miris quoque operibus. non eſt paſſus indecores eſſe illos, inter quos uixit, quibus opem cæleſtis dextra ferebat. nam membrorum uitia corrigerę, uſus reſtituere, ſenſus oculorum, linguæ, aurium aperire, ualetudinem ægrotantibus inſtaurare ſolebat. Illius uim & numen Dœmonia de corporibus excuſſa trepidabant, multiq; mortales eundem ſæpius luce functis decurſam uitam reſignaſſe uiderunt. quid multa hominum millia paucis panibus & piſciculis ſemel & iterum ſaturare? quid naufragia eripere? uim ſæuientium uentorum quatere? ſiccis ueſtigiis aquarum fluenta deambulare? quæ omnia in humanis degens faciebat, ut Dominus naturæ, non petendo illa ab alio, ſed propria utens poteſtate, qua ex re certiſsimum diuinitatis ſuæ præ

buit argumentum. nam nemini hominum nato contingere id, ac ne conferri quidem potest, ut ui sua nixus miracula edat. Deus igitur, assumpto homine, propriis (ut sic dicam) auspiciis tanta illa gerebat. nec id fuit satis. nam singulare humilitatis & patiẽtiæ exemplar intulit, dum fœdari incestis hominum manibus sustinuit, crudelissimeq; uexari, comprehensus ut imbecillis, adductus ad iudicium ut reus, damnatus ut nocens, illusus ut uilis, laceratus ut hostis: uerbera, plagas, cruciatus, mortem salutis nostræ causa ferre uoluit, tulit. Ille rerum conditor, ille hominum & Angelorum creator, nudatus in cruce distentusq; iacuit, ternis clauis confixus, spinea corona uallatus, istisq; clarissimis caritatis insignibus decoratus. Ille ille inquam est Deus inuisibilis quondam, nunc carne inductus, qui in crucem sublatus est, qui uulnerum fœditate, qui sparso cruore, qui durissimo supplicio infirmitatem nostram abluit ac redemit. Idem, ut dies aduenit tertius, surrexit è tumulo, mortisq;, quam pro cũctis sustinuerat, uictor, paternos ultro remigrauit ad cœlos, æternæq; uitæ claustra mortalibus reserauit, &, quamuis pauci uiuentis uestigia sectati, cunctas tamen terras, cuncta maria, atque etiam ultimos telluris sinus Euangelicus sonus breui peragrauit. Hæc Deus humanis circunfusus membris gessit & pertulit, gessit nanque diuina, pertulit humana. Hæc sunt etiam illa, quæ paulo ante dicebam Deũ de se per homines quondam sacro afflatos spiritu prælocutum. Deus antea uoluit uerbum suum in ore Prophetarum resonare: tandem uenit ipsum uerbum,

uerbum, humanam aſſumens carnem, quod & geſtis & uoce increpuit tam magnum, ut breui totum terrarum orbem peruaſerit. Si magnum uidetur, quod Deus cum antiquæ legis patribus occulto illo ſuo more locutus eſt: maius adhuc uideatur, quod his ultimus temporibus corporaliter & patenter per ſe ipſum locutus fuerit, multa etiam geſſerit: & tanto id maius uideatur, quanto ſolet res ipſa imagini anteferri. nam uetera illa uelut imago & umbra horum fuerunt: præmiſit Dominus, ut illo dignum fuit, multos geſtorum ſuorum præcones, & prælusores. Etenim incarnatio eius, ſiue humanatio, (utendum eſt enim in re noua nouo uocabulo) ortus, actiones, miracula, ita ſermonibus prænunciata, ac rerum imaginibus ſignata, illud etiam infandæ necis trophæum, quo peccata noſtra luctusq; hauſit, ita depictum, ut quæ multis poſt ſæculis cõtingere erat neceſſe, uiderentur illi uiri tanquam præſentia ſpectaſſe, & ad illud exemplar cuncta diſpoſuiſſe. Tum uero illud, Deum in carne uenturum, & non de ſuperiori loco, ſed de plano hominibus hominem locuturum, multaq; in homine geſturũ, uel eo maxime præſignificari uidetur, quod tum humano more humanis affectibus pertractare cuncta dicatur: non enim renuit, quin de eo ut homine homines loquerentur, qui hominum ipſorum cauſa humanã ſuſcipere naturam cupiebat. Mirum uidetur, quod Deus ad homines uerba fecerit, & ore ad os edocuerit, quemadmodum magiſter diſcipulos ſolet. hoc, quod tam mirum eſt, noſtri cauſa ſuſcepit, quod prophetico quoque

teſtimonio, ſicut cetera, indicatur. ægre nanque ferrem, ſi de hac Dei locutione, de qua inſtitutus eſt ſermo, non poſſem oſtendere aliquid prænunciatum. Eſaias igitur trigeſimo capite ſui libri Iudæis, quod habituri eſſent doctorem perpetuum, ita ut uideretur ab eis, & audiretur, prædixit. Hunc locum non modo noſtri, ſed ueteres Hebræorum magiſtri de Chriſto, quem illi Meſsiam uocant, exponunt, id eſt de eo, qui ex utroque genere diuino & humano conſtaret: nam ſi de puro homine loqueretur, quid mirum eſſet, ſi talis doctor oculis & auribus aſtantium ſentiretur? Vaticinatus igitur Eſaias quod Deus aliquando in homine proprio ore Doctoris fungeretur officio, clare illum cunctis uidentibus & audientibus, neque ceſſaret ab hoc docendi munere. ipſius nanque doctrina perpetua eſt, ipſe in Euangelio dixit ſe fore nobiſcum omnibus diebus ad conſumationem uſque ſæculi. Sed quid profuit, Deū olim præſentem ſpiritu, mox corpore illa locutū, ſi hos ipſos diuinos negligimus ſermones? ſi maximis præmiis ac pollicitationibus allecti ad ſanctæ caritatis obſequia, ad omne iuſtitiæ opus, (o nos miſeros, ſtultasq; noſtras cogitationes) caduca fortunæ bona affectamus? ſæculiq; fluxam auram tota mente contrectamus? quin uana ſectamur potius formarum munera, turpiſsimis circunfluentium uoluptatum illecebris irretiti, quàm laxantem immortalitatis ſinum, & ad ſua præmia uocantem Deum audiamus. Dici uix poteſt, quantum diuinis debeamus ſermonibus, quibus ſe ipſum patefecit Deus, &, quid uellet oſtendit.

dit. De mundani operis fabrica innotuit quidem, ſed uix, ſed paucis, ſed minus plene: uilius etiam hoc mundanum opus, quod uarias agitationes patitur,& mutationes, quod aliquando ſoluetur: at immutabile & inextinguibile Dei uerbum, quicquid promiſit, dabit. promiſit autem maxima & ingentia dona ſupra omnem humanum cogitatum. dulce hoc: illud triſte, quod, quicquid minatur peccantibus, etiam dabit: minatur autem æterna incendia. Videndum ergo ut hæc effugiamus, & altera aſſequamur. Nouit ille bonis pariter & malis uti bene, quoniam utriſque quod debetur perſoluet, bonis ſcilicet præmium, malis ſupplicium. mauult tamen ſe potius ad liberalitatis & clementiæ partes adiungere, quam ultionem de peccatoribus exercere. Hic eſſet locus hortandi pluribus ad obſeruantiam diuinorum mandatorum, neque id me latet. ueruntamen ſuſpectam habeo imbecillitatẽ uirium mearum, ideo hanc ſarcinam libenter relinquo. Mouet me illud etiam, quod non ad inconditam multitudinem, ſed ad delectum amicorum cœtum uerba facio, cui nihil opus eſt his uerborum calcaribus: admoneri ſatis eſt. Vellem tamen ut hortationem hanc eloquentiſsimus aliquis ſuſciperet, cui firmiſsimum opto pectus, & ferream uocem. Hunc tanquam de ſpecula concionantẽ cunctos mortales, qui undique globo terræ circunfunduntur, audire cuperem, atque adeo audire, ut ingemiſcerent de peccatis, ſalutemq; ſuam aliquando reſpicerent, & curarent in poſterum magis loquelæ ſummi Dei, mandatis æterni patris obtemperare.

IN ACADEMIA
VENETA,
M. D. LVIII.